111. 85 17

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO ACADEMICA,

Qua

OPIFICUM CONDITIO

contra Ariſtotelem defenditur.

Quam

DEO T. O. M. bene juvante,

PRÆSIDE

VIRO Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo
atq; Excellentiſſimo

DN. JOH. GEORGIO SCHERZIO,

J.U. & Ph. Doct. & Ph. Pr. P.P. celeberrimo, Capitulique Thomani Canonico Graviſſimo,

Patrono, Præceptore atq; Promotore æternum venerando,

In Alma Argentoratenſium Univerſitate
Publico Eruditorum Examini
ſubjicit

JOHANNES FRIDERICUS REUBER, Argent.

A. diem 25. April. M DCC IX.
horis locoque ſolitis.

Digitized by Google

ARGENTORATI, Literis JOHANNIS PASTORII.

21

ILLUSTRI COLLEGIO

DOMINORUM

DISPENSATORUM

STIPENDII

SCHENCKBECHERIANI,

VIRIS

NOBILITATE GENERIS,
MUNERUM AMPLITUDINE, CON-
SILIORUM GRAVITATE, MAXIME REVERENDA
DIGNITATE, EXPERIENTIA PRUDEN-
TIAQUE EXCELLENTISSIMIS,

DNN. Mæcenatibus & Evergetis
meis omni obſervantiæ obſequiiq;
cultu devenerandis,

Has

Primitias Studiorum

D. D. D.

JOH. FRIDERICUS REUBER,
Defendens.

Digitized by Google

B. C. D.

§. I.

Quemadmodum prudentiſſimo conſilio Univerſi hujus Creator Deus partes orbis diverſiſſimis dotibus inſtruxit (*a*), ita idem Hominum non tantum vultus & corpora, ſed & ingenia miranda varietate (*b*), ſed ſapientiſſime, diſtinxit.

(*a*) *Hinc Poëta canit:*
- - Non omnis fert omnia tellus.
Et Ovidius lib. 1. *de arte amandi:*
Nec Tellus eadem parit omnia: vitibus illa
Convenit, hæc oleis: hîc bene farra virent.

(*b*) *Perſius Satyr.* 5.
Mille Hominum ſpecies & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno;
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana Cumini:
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget, hunc alea decoquit; ille
In Venerem putris.

§. II.

Ex hac ingeniorum diverſitate ſuadente vitæ

 mol-

by Google

mollioris appetitu, & cogente neceſſitate *(a)* orta ſunt inter Homines varia vitæ genera. Hinc alii Mercaturæ, alii opificiis, alii Literarum ſtudiis, alii militiæ, alii aliis ſe dedere incepere.

(a) *Arnobius adverſus gentes lib.* 2. Artes *appellat* pauperrimæ neceſſitatis inventa.

§. III.

Nullum horum eſt quod utilitatibus & commodis ſuis careat: Sed non eodem tamen loco in vita communi illa habentur.

§. IV.

Imò ut plurimum obtinet, ut ii, a quibus plurimæ utilitates in genus humanum redundant, inferiori ſede collocentur *(a)*.

(a) *In aliis rebus quoque hoc contingere videmus; ut non tam utilitas, quam raritas ipſis pretium conciliet.*
ἄριστον μὲν ὕδωρ,
Optima eſt Aqua,
ait Pindarus Od. I. Olymp. ſed quotusquisq; eſt, qui non gemmam aut margaritam magna aquarum copia anteponat. Scilicet: Quicquid domi eſt, vile eſt, *uti Seneca III. de Benef.* 3. *loquitur. vid. Puſendorff. de Jure N. & G. V,* 1, 6.

§. V.

Ut alia omittamus, patet hoc ex Opificum vitæ genere, quippe quod, licet maximis cum utilitatibus ut plurimum ſit conjunctum, non tantum olim, ſed & hodie, exiguo fere cenſetur loco.

§. VI.

In Ægypto Opifices excludebantur ab officiis publicis. Apud Scythas, Thracas, Perſas, Lydos & omnes fere

Digitized by Google

fere Barbaros opifices pro ignobilioribus civibus habebantur & eorum liberi generoſiores cenſebantur, qui a manuariis operis abſtinebant *(a)*.

(a) *Herodotus in Euterpe Cap. 167. hæc habet:* Εἰ μέν νυν καὶ τοῦτο παρ' Αἰγυπτίων μεμαθήκασι οἱ Ἕλληνες οὐκ ἔχω ἀτρεκέως κεῖναι· ὁρέων καὶ Θρήικας καὶ Σκύθας καὶ Πέρσας καὶ Λυδοὺς, καὶ σχεδὸν πάντας τοὺς βαρβάρους, ἀποτιμοτέρους τῶν ἄλλων ἡγεομένους πολιητέων τοὺς τὰς τέχνας μανθάνοντας, καὶ τοὺς ἐκγόνους τούτων· τοὺς δὲ ἀπαλλαγμένους τῶν χειροναξίων, γενναίους νομίζοντας εἶναι, καὶ μάλιστα τοὺς ἐς τὸν πόλεμον ἀνειμένους· μεμαθήκασι δ' ὦν τοῦτο πάντες οἱ Ἕλληνες, καὶ μάλιστα Λακεδαιμόνιοι. ἥκιστα δὲ Κορίνθιοι ὄονται τοὺς χειροτέχνας. *Id eſt:* Hoc ab Ægyptiis ne mutuati ſint Græci non poſſum pro certo dijudicare, quum videam & apud Thracas, Scythas, Perſasq; & Lydos, deniq; apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus civibus eos, qui artificia diſcunt, eorumq; liberos; generoſiores autem eos, qui a manuariis operibus abſtineant, præſertim qui ceſſent ob bellum. Hoc itaque cum cæteri Græci didicerunt, tum præcipue Lacedæmonii. Corinthii quoque minimi faciunt opifices.

§. VII.

Obtinuit hoc etiam apud multos Græcorum *(a)*, Lacedæmonios Corinthiosque, qui minimi fecere opifices.

(a) *Conf. Ariſtot. Polit. III, 3. & Herodot. loco citato. Item Plutarchum in Ageſilao p.m. 816.*

§. VIII.

Romulus etiam artes ſellularias ſervis & exteris exercendas tradidit, longoque tempore pudori fuerunt Romanis opera talia, ut nemo ex indigenis animum ad eas applicaret *(a)*.

(a) *Vid. Dionyſ. Halicarnaſſ. in Antiquit. Roman. L. II.*

& L. IX. Pertinet huc locus Ciceronis in Officiis L. I. c. 42. ubi ita loquitur: Opifices omnes in ſordida arte verſantur. Nec enim quicquam ingenuum poteſt habere officina, minimeque artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, Cetarii, Lanii, Coqui, Fartores, Piſcatores, ut ait Terentius. Adde huc, ſi placet, Unguentarios, Saltatores, totumque ludum talarium.

§. IX.

Tolerari hoc facilius poſſet in aliis, niſi etiam ex iis ipſis qui Philoſophiam tradunt, admodum abjecte de opificum conditione loquerentur.

§. X.

Eminet inter hos Ariſtoteles, qui paſſim in ſcriptis ſuis ſatis contemtim de iis diſſerit.

§. XI.

Potiſſimam autem vitæ opificum injuriam facere videtur, dum eos vel ab omnium, vel ſaltem a plurimarum virtutum exercitio excludit.

§. XII.

Quod ille opifices ad omne virtutis opus ineptos eſſe ſtatuerit, hæc loca *(a)* perſuadere poſſunt.

(a) *Politicorum L. III.* c. 3. *negat* in Ariſtocratia βάναυσον poſſe fieri civem. *Rationem addit hanc*: οὐ γὰρ οἷόν τε ἐπιτηδεῦσαι τὰ τῆς ἀρετῆς ζῶντα βίον βάναυσον ἢ θητικόν. *Id eſt, vertente Lambino*: Non enim fieri poteſt, ut is, qui vitam colit illiberalem ac ſordidam, vitamque mercenariam, in ea, quæ ſunt virtutis, ſtudium conferat. *Politicorum L. VII*, 4. dicitur βίον βάναυσον οὐδενὸς ἔργου μετ᾽ ἀρετῆς μεταχειρίζεσθαι. i. e. nullum ex iis muneribus quæ tractat ſordidorum atque illiberalium opificum & mercenariorum multitudo cum virtute conjunctum eſt. Politicorum L. VII. c. 9. *dicit* illos qui vivunt βίον βάναυσον, aut ἀγοραῖον, non debere

debere eſſe cives in Republ. optima. *Rationem addit hancce*: ἀγεννὴς γὰρ ὁ τοιοῦτος βίος καὶ πρὸς ἀρετὴν ὑπεναντίος. Humilis enim minimeq; generoſa talis vita eſt & virtuti adverſaria. *In eodem capite paulo poſt dicit*: βάναυσον οὐ μετέχειν τῆς πόλεως, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν γένος ὃ μὴ τῆς ἀρετῆς δημιουργόν ἐστι. *Id eſt*: Id genus hominum quod artes illiberales & ſordidas exercet, non eſt particeps civitatis, neque ullum aliud, quod non eſt virtutis opifex. *Politicorum VIII, 6. pro Synonymis ponuntur*, βάναυσον & ἄχρηστον πρὸς τὰς πολεμικὰς καὶ πολιτικὰς ἀσκήσεις. Illiberale & ad bellicas ac civiles exercitationes inutile.

§. XIII.

Eundem tamen opifices non ab omni plane virtute removiſſe aliunde *(a)* patet.

(a) *Polit. I, 8.* τοσοῦτον ἐπιβάλλει ἀρετῆς, ὅσονπερ καὶ δουλείας· ὁ γὰρ βάναυσος τεχνίτης ἀφωρισμένην τινὰ ἔχει δουλείαν, Tantum ad eum (*opificem*) attinet virtutis, quantum & ſervitutis. Sordidus namque opifex finitam ſervit ſervitutem.

§. XIV.

Objicietur hic forte, Ariſtotelem non ita male ſentire, de omni opificum genere, ſed de βαναύσοις ſaltem ſeu ſordidis. Ad quod reſpondemus omnes opifices, quos quidem nos hodie ita appellamus, illi eſſe *(a)* βαναύσους.

(a) *Videamus quomodo ille artes* βαναύσους *definiat: in Eudemiis lib. I. c. 4. dicit*: λέγω δὲ βαναύσους τέχνας, τὰς ἑδραίας καὶ μισθαρνικάς. Nomino autem artes βαναύσους illas, quæ ſunt ſellulariæ, & pro mercede exercentur. *Pol. III, 3.* τῶν ἀναγκαίων ἔργων οἱ μὲν ἑνὶ λειτουργοῦντες τὰ τοιαῦτα, δοῦλοι· οἱ δὲ κοινῇ, βάναυσοι καὶ θῆτες. Opera neceſſaria obeuntes uni quidem, ſunt ſervi; communiter vero, opifices & mercenarii. *Et in eod. cap. quos modo appellaverat* βαναύσους, *deinde nominat*

nat δημιουργούς. *Pol. IV, 4. alteram civitatis partem dicit eſſe* τὸ βάναυσον, *& eam deſcribit:* τοῦτο δὲ περὶ τὰς τέχνας. *conf. Pollux in Onomaſt. VII, 1. ubi pro Synonymis habet Artes* βαναύσους, ἀγοραίους, ἀνελευθέρους, ἀπειροκάλους, ἑδραίους, χειροτεχνικοὺς, βαναυσικοὺς, δημιουργούς. *add. Clar. Kühnii Index in Ælian. v.* βάναυσος.

§. XV.

Errare autem eos, qui opificibus nihil vel parum virtutis ineſſe poſſe dicunt, patet & per rationes, & per exempla.

§. XVI.

Per rationes id liquet; quia habent animam rationalem facultatibus ad virtutes neceſſariis, intellectu & voluntate, præditam, non minus ac alii mortales. Unde etiam per aſſuefactionem, accedente Divini Numinis gratia, ad virtutem manuduci poſſunt. Imo multa opificia ita ſunt comparata ut per ea ij, qui iisdem intenti ſunt, ad actiones virtuoſas aptiores reddantur. Ita illa quæ corpus admodum fatigant, homines aptiores faciunt adPatientiam, ſuſtinendosque conſtanti animo labores, adeoq; etiam ad Fortitudinem. Dum manuum ſuarum opera ſuos alunt, Juſtitiæ & charitatis opus exequuntur; Dum aliorum neceſſitatibus aut utilitatibus ſubveniunt, officioſitatis munia non raro explent. Et quid eſt in ipſo operarum mechanicarum Generi Humano utilium exercitio, quod impediat, quo minus iis deditus flagrare poſſit ſtudio ſe & ſuas actiones ad Numinis voluntatem componendi? Aſt ita conſtitutum eſſe, eſt virtuoſum eſſe. Et ſi ſapiens poteſt Artes Machanicas ad ſuam ſuorumq; utilitatem exercere, ita ut virtuti ſuus conſtet honos, quod & Stoici

Digitized by Google

Stoici *(a)* & Ariſtoteles *(b)* ipſe agnovere, quidni illis liceat in aliorum etiam utilitatem ſine metu turpitudinis moralis eas exercere. Cur ſi illiberalibus, uti vocantur, vacare operis in uſum aliorum cum virtute ſtare non poteſt, Sacra Scriptura Statum ſervilem non improbat? Cur ſervis ſuppeditandam laboris materiam inculcat? cur quoties Figulorum, Fabrorum &c. labores ridet, non artem ipſam, ſed ejus ad idola abuſum improbat?

(*a*) *Obſervat hoc Clariſſ. Morhofius in Polyhiſt. Tom. I. I, I,* 4. ubi dicit: Et has quidem ſcientias artesq; (liberales) omnes ita congerendas in Philoſophum ſuũ judicarunt Stoici: ut nec mechanicarum artium rudem eſſe voluerint, ac indignum eo crediderint, ſi aliorum miniſteriis ad vitæ civilis neceſſitates uteretur. Ut enim ille & dives, & Rex, & nobilis; ita & Sutor, & Faber, & Piſtor ſibi erat. Cujus elegans & feſtivum ab Apulejo in Hippia producitur exemplum: qui, præter eximiam artium omnium ingenuarum cognitionem, omnium opificiorum erat callentiſſimus. Nam quæ ſecum habebat, omnia ſua manu confecerat, & veſtes, & calceos, & annulum, & ſignaculum in gemma faberrimum. Simile, imo majus in Julio Cæſare Bottifanga exemplum propoſuit Erythræus Pinacoth. II. n. 17. qui præter ſingularem in omnibus artibus liberalibus peritiam, femoralia, thoraces ſibi ipſe formabat ſuebatque; omni inſtrumento Muſico non canebat ſolum egregie, ſed & illa melius, quam quivis alius artifex conficiebat: penicillo Pictores; acu pingendo Arachnen ipſam provocabat; ut mulierculis, quæ artem illam profitebantur, pudorem incuteret. Hos ſuo abundare ſenſu haud ægre patimur, facile virum ſapientem excuſaturi, ſi in opere fabricando corpus non fatiget: qui ingenio tamen

Digitized by Google

operationum illarum rationes exploratas habere poteſt. Sunt enim & Mechanicæ artes quaſi quædam naturales ſcientiæ & diſciplinarum Mathematicarum propagines: quæ ornari, augeri earum beneficio poſſunt, omnesque ab hominibus ſapientiſſimis inventæ. Quarum accuratior hiſtoria & notitia Philoſopho non eſt indigna, magnis & præclaris contemplationibus occaſionem datura. Neque defuere, qui hunc quoque fundum ſibi excolendum ſumerent. Vir illuſtris & Itinerariis ſcriptis celeberrimus inter Gallos Thevenotius vaſtum aliquod de Opificiis omnibus opus, velut quasdam naturæ & artis Pandectas, moliebatur, ſed fata his laboribus interceſſerunt.

(*b*) *Pol. III. 4. ubi dicit*: τὰ μὲν οὖν ἔργα τῶν ἀρχομένων οὕτως, οὐ δεῖ τὸν ἀγαθὸν, οὐδὲ τὸν πολιτικὸν, οὐδὲ τὸν πολίτην τὸν ἀγαθὸν μανθάνειν, εἰ μή ποτε χρείας χάριν αὐτῷ πρὸς αὑτόν· οὐ γὰρ ἔτι συμβαίνει γίνεσθαι τὸν μὲν δεσπότην, τὸν δὲ δοῦλον. i. e. Eorum igitur qui ita parent (ſc. ut opifices) opera non oportet bonum neque Politicum, neque Civem diſcere, niſi forte uſus ſui ſecum cauſa; nam ſic non fiet amplius, ut hic quidem ſit dominus, ille vero ſervus.

§. XV.

Aſt ais: Eſſe quædam Opificia, quæ qui ſectatur, eſt perpetuus malarum libidinum voluptatumque miniſter. Sed quid hoc ad nos, utpote quibus de tali opificiorum genere ſermo neutiquam eſt.

§. XVI.

Pergis: Malos eſſe opifices, Avaritiæ aut Gulæ indulgere, lucrum ſuum, non aliorum commoda, quærere. Ad quod reſpondeo: Hæc ſi valent, nullus erit inter Homines, quamcunque vitam ſectentur,

Digitized by Google

tur, virtuti locus. Quis eſt Hominum ordo, ubi non mali mores regnum tenent? Illi ipſi, qui virtutem quotidie conſiderant, docent, commendant, quantis quotque nævis maculati reperiuntur?

§. XVII.

Nunc ad exempla eundum eſt. Illa non longe petimus. Joſephus, qui SALVATORI noſtro Parentis loco fuit, δίκαιος appellatur, & tamen fuit τέκτων; *(a)* imo ipſe SALVATOR noſter τέκτων nuncupatur. Multi Apoſtolorum *(b)* Piſcatores; Paulus Tabernaculorum Confector *(c)* extitit. Coriarius ille *(d)* Simon, qui Petrum Joppæ hoſpitio excepit, ſine dubio Virtutis veræ amans fuit. Primis Chriſtianis inter alia a Gentilibus *(e)* objiciebatur, quod artes colerent Sellularias. Alios quoque Sapientes opificia didiciſſe obſervant Druſius *(f)* & Grotius *(g)*.

(a) *Matth. XIII, 55. ubi Grotius hæc annotat:* Fabrum fuiſſe lignarium Joſephum cum ſcriptor vetuſtiſſimus Juſtinus tradat, ego non dubitem vocem τέκτονος ita hic accipiendam. Neque aliter ſenſiſſe Chriſtianos veteres apparet ex dicto illius, qui contumelioſe a pagano interrogatus, quid faceret ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, reſpondit, eum feretrum Juliano fabricare. Quin cum ipſe etiam Chriſtus a plebe Nazaretana, in cujus conſpectu adoleverat, Τέκτων vocetur apud Marcum, non audeam eis refragari qui Chriſtum Joſepho adfuiſſe in fabrili opere tradunt, &, ut Juſtinus ait, aratra feciſſe & juga. Neque id indignum eo ſtatu, quem aſſumſerat ἑαυτὸν κενῶν. Nam præterquam quod ἔργον οὐδὲν ὄνειδος, ut ab Heſiodo dictum eſt, mos ſane laudabilis inter Hebræos fuit, ut etiam quibus res eſſet lautior, ad-

verſus omnes fortunæ caſus opificium aliquod addiſcerent: atque illi etiam qui ſapientiæ ſtudiis operam dabant, quorum alios ſutores, alios piſtores, alios pelliones fuiſſe legimus.

(b) *De his Gerh. Joh. Voſſius in Tr. de Quatuor Artibus Popularibus* §. 4. Sane non abhorruere ab opificio Apoſtoli: ut B. Paulus; de quo Actor. 20. & 1. Cor. 4. 12. unde de eodem ſic B. Auguſtinus de opere Monachorum cap. 13. Innocenter, & honeſte, quæ apta ſunt humanis uſibus, operabatur: ſicut ſe habent opera fabrorum, ſtructorum, ſutorum, ruſticorum, his ſimilia. Neque enim honeſtas ipſa reprehendit, quod reprehendit ſuperbia eorum, qui vocari honeſti amant, ſed eſſe non amant. Valde hæc firmantur eo, quod artes hujusmodi ſanctificavit ipſe ſoſpitator Chriſtus: quippe qui cum Joſepho fabrilem artem exercuerit; ut Juſtinus Martyr, Baſilius M. & veterum alii, cenſent. Et Deus ad nuditatem velandam primis parentibus fecit *δερματίνας*, ſive pelliceas tunicas; ut eſt Gen. 3.

(c) *Act. Apoſt. XVIII*, 3. *ubi etiam dicitur apud alios hujus opificii manſiſſe & operatum fuiſſe.*

(d) *Act. Apoſt. IX*, 43.

(e) *vid. Elmenhorſt. in not. ad Minuc. Felicis Octavium pag. 3. verſ.* 11.

(f) *Qui ita loquitur in Notis ad Act. Apoſt. XVIII*, 3. Sapientes olim artificium aliquod exercebant ne gravarent alios. Sic R. Joſe coriarius erat, hoc eſt מעבד עורות confector pellium. Jucha. XLIII, 1. & 11. *Pleriqueſapientes alicujus artificii erant, ne utilitatem caperent ab aliis.* Ab eo quandoque cognomentum accipiebant, ut Nahum הלבלר librarius aut ſcriba. Sic R. Meir erat לבלר, id eſt, סופר ſcriba. Juch. XLI, 1. Sic Jochannan Sandalar, id eſt calcearius aut ſutor, qui סנדלין id eſt calceos conficit. Sandalphon, qui facit coronam e Phylacterio

rio. R. Juda הנחתום piſtor, cujus mentio in Juch. XLIV, 2. מעבד עורות qui pelles aut coria concinnat, pellio.

(g) *Ille hæc habet*: De Aſinæo & Aſilæo in Babylonia Judæis Joſeph. XVIII, verſ. 12. αὐτοῖς ἡ μήτηρ προσέταξεν ἱστῶν μαθήσει, ποιήσεως οὐκ ὄντος ἀπρεποῦς τοῖς ἐπιχωρίοις ὥστε τοὺς ἄνδρας ταλασιουργεῖν παρ' αὐτοῖς. Sic Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſti piſcatores. Et Minutius de Chriſtianis: expertes artium niſi ſeſſilium, & de Octavio: piſtorum præcipuus. Epiphanius hæreſi LXXX. Πάντων τῶν τοῦ θεοῦ δούλων τῶν εἰς δικαιοσύνην καμνόντων ταῖς ἰδίαις χερσὶν εἰς τὸ ἐπαρκεῖν καὶ τοῖς ἐνδεομένοις. Theodoretus ſermone VII. Σκυτέας καὶ ὑφάντας καὶ χαλκοτύπους καὶ τοὺς ἄλλους ὅσοι τὰς τέχνας μεταχειρίζουσι. *Liceat hic inſerere, quomodo hic Argentinæ Theologus ſatis celebris* Wolfgangus Muſculus *Artem Textoriam didicerit. Eā rem ita exponit Melchior Adami in Vitis Theologorum p. 373.* Proficiſcebatur (*Muſculus*) recta Argentoratum: quo pervenit ſub finem anni milleſimi quingenteſimi viceſimi, ætatis ſuæ trigeſimi, ibiq; nuptias celebravit viceſimo ſeptimo Decembris, quibus pro more Eccleſiæ benedixit M. Theobaldus Nigri, Eccleſiæ Argentinenſis apud ſeniorem Petrum miniſter: qui & primo eum hoſpitio ſuſcepit, & nuptiale convivium in ſuis ædibus inſtruxit. Cæterum cum ex illa pecuniola diu ſe cum uxore alere non poſſet, neque præterea haberet, unde viveret, cogitare cœpit de artificio aliquo manuario perdiſcendo. Neque enim Eccleſiaſticam aliquam functionem ſperare audebat, cum multis doctis ad illas aditum præcluſum videret. Uxore igitur apud M. Theobaldum Nigri ancillari juſſa, ipſe textoriam didicit, nactus ejus opificii magiſtrum: cum quo de pretio pro bimeſtri inſtitutione certis conditionibus pactus, opus aggreditur. In illo vero inſtituto ſuo, alieno a priſtina vitæ conſuetudine, ſeſe hoc diſticho conſolabatur:

 Eſt

Eſt Deus in cœlo, qui providus omnia curat,
Credentes nusquam deſeruiſſe poteſt.

Erat autem ille, in quem imprudens inciderat, textor, Anabaptiſta, ejusq; ſectæ domi ſuæ alebat doctorem, miram ſanctimoniam ſimulantem, nihil tamen (ut ſolent) operis facientem, tantum ubi comedendum eſſet, accumbentem; cum illo quoniam ei convenire non poterat, quin perpetuo ejus & hypocriſin & deſidiam reprehenderet, illud Pauli objiciens: Qui non vult operari, is nec edat: offenſus tandem his concertationibus textor, odiſſe eum cœpit: eoque bimeſtri elapſo, cum jam pridem pactam pro mercede pecuniam recepiſſet, abire eum jubet: cum pactiones primitus initæ aliud poſtularent: ipſe vero, quamvis non invitus ab illo diſcederet: perfidiam tamen Anabaptiſticam accuſabat, & præter fidem datam ſe ab illo extrudi conquerebatur. A textore igitur ita dimiſſus, quid in poſterum ſibi agendum deliberare cœpit. Laborabant autem tum forte Argentoratenſes in ampliandis inſtaurandisque ſuæ urbis foſſis & aggeribus. Eo in opere & ipſe, cum aliud non occurreret, quo egeſtatem ſuam ſublevaret, operam locare ſuam, animum induxit: jamque ejus rei ab ædili poteſtas ei facta, & merces promiſſa erat. Ibi cum poſtero die operi admovenda manus eſſet; ſub veſperam prius foſſam circuibat, cogitans ſecum, quem ſibi in opere laborem potiſſimum ſumere vellet; ſed ecce, θεὸς, quod dicitur, ἀπὸ μηχανῆς. Cum enim ab illa deambulatione ad ædes Theobaldi Nigri reverſus eſſet, indicat ei uxor, in ea domo, ut dixi, ancillans, adfuiſſe miniſtrum urbis publicum, qui juſſerit, ut in ſummo templo Conſulem & D. Bucerum conveniat. Hoc nuncio, cum ignoraret quid ſibi vellet, turbatus, ſtatim, quo vocatus erat, ſe contulit. In templum ubi venit, a Bucero conſpectus accedere jubetur. Tum ei Conſul mandat, ut in pagum

Digitized by Google

gum Dorlizheim exeat, ibiq; diebus Dominicis evangelium Chriſti prædicet, & populum, ad turbas pronum, ad tranquillitatem & obedientiam hortetur. Hanc ipſe vocationem plane divinam lætus accipit, Deoque Patri gratias agit; qui pro ſuâ bonitate clementer ipſum reſpexiſſet. Eſt autem pagus ille tribus ab urbe milliariis, vicinum habens oppidum Moltzhemium Epiſcopi Argentinenſis.

§. XIIX.

Calculum noſtræ ſententiæ adjiciunt non pauci Sapientum; ex quibus nunc nominare ſufficiat L. Annæum Senecam *(a)*.

(a) Ille de Beneficiis Lib. III. c. 18. ita loquitur: Nulli præcluſa virtus eſt, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, ſervos, reges, & exules. non eligit domum, nec cenſum; nudo homine contenta eſt. Quid enim erat tuti adverſus repentina, quid animus magnum promitteret ſibi, ſi certam virtutem fortuna mutaret? Si non dat beneficium ſervus domino; nec regi quisquam ſuo, nec duci ſuo miles. Quid enim intereſt, quali quis teneatur imperio, ſi ſummo tenetur? Nam ſi ſervo, quo minus in nomen meriti perveniat, neceſſitas obeſt, & patiendi ultima timor: idem iſtud obſtabit, & ei qui regem habet, & ei qui ducem: quoniam, quamquam ſub diſpari titulo, paria in illos licent. Atqui dant regibus ſuis, dant imperatoribus beneficia; ergo & dominis. Poteſt ſervus juſtus eſſe, poteſt fortis, poteſt magnanimus: ergo & beneficium dare poteſt. Nam & hoc virtutis eſt, adeoq; dominis ſervi beneficia poſſunt dare, ut ipſos ſæpe beneficia ſua fecerint. Non eſt dubium, an ſervus beneficium dare poſſit cuilibet: quare ergo non & Domino ſuo poſſit?

§. XIX.

Digitized by Google

§. XIX.

Tantum itaque abeſt ut virtuti obſtare, turpe, & ingenuo Homine indignum judicandum ſit, ſi quis opificium aliquod addiſcat vel exerceat, ut id potius tanquam res honeſta, aliis & ſibi ſuisque *(a)* utilis, etiam Literatis *(b)*, Nobilibusq; commendandum ſit.

(a) *Notum eſt illud CAROLI V. IMP. qui REGI GALLIARUM Aurificum Lutetianorum labores oſtendenti & extollenti reſpondit:* Es wäre zu Augſpurg ein Weber / der könne das alles mit paarem Gelt bezahlen. *Fuggerum Auguſtanum Civem intelligens.*

(b) *Schuppius ſuadet in opere quod* Regenten-Spiegel *inſcribitur, ut qui Eccleſiæ Miniſtri aliquando fieri volunt, opificia addiſcant, ut eo facilius, ſi ob religionem officio pellantur, ſeſe alere poſſint.*

(c) Celeberrimus Anglus Lockius *in Tractatu, quem Germanice verſum poſſideo, cujusq; Titulus:* von Aufferziehung der Kinder. §. 201. *vult, ut etiam Liberi Nobilium artium Mechanicarum quasdam addiſcant, ubi, præter Artem colendi Hortos, eas potiſſimum commendat, quæ circa ligni fabricationem occupantur, ut Tornatorum, Fabrorum Lignariorum, Arculariorum. Ubi etiam invitat eos ad Artem Balſamum conficiendi, Laccha incruſtandi* (das lackiren) *aliquid inſculpendi chalybi, ferro, aut orichalco, item gemmas findendi, poliendique & auro includendi, ut & vitra ad uſum Teleſcopiorum &c. præparandi.*

§. XX.

Fatemur tamen lubenter multa *(a)* hodie in opificum arte & moribus occurrere, quæ Imperantium & Magiſtratuũ correctionem & medelam requirunt.

(a) *Vid. Dn. Hertius de Parœmiis Juris lib.* 1. in Parœmia XIV. quæ ita ſonat: Die Aembter und Zünfften in den Städten müſſen ſo rein ſeyn / als wenn ſie von Tauben geleſen. *Item.* Was Unehrlich / können die Aembter nicht leiden.

Θεῷ μόνῳ δόξα.

VA11521571

Digitized by Google